Programm

des

Kgl. Kronprinz Friedrich Wilhelms-Progymnasium

zu

St. Wendel

für das Schuljahr 1880-81,

womit zu der

am 5. April 1881

stattfindenden

öffentlichen Prüfung und Schlussfeier

ergebenst einladet

der Rektor

Johann Busch.

Inhalt: 1) Ciceronis de legibus libri I cap. 21 et 22 interpretatio. Von Dr. Schäfer, ordentl. Lehrer.
2) Schulnachrichten. Vom Rektor.

St. Wendel 1881.
Buchdruckerei von Karl Maurer Wtw.

1881. — Programm No. 400.

Ciceronis de legibus libri I cap. 21 et 22 interpretatio.

Libri primi cap. 18 Cicero dicit ius et omne honestum sua sponte expetendum omnesque virtutes per se esse colendas; deinde cap. 20 transit ad finem bonorum quaerendum, controversam rem et plenam dissensionis inter doctissimos i. e. inter antiquam Academiam et Zenonem, qui inventor et princeps Stoicorum fuit. Sed solum de una re, ut Ciceronis verbis utar, Academici et Stoici dissident, de ceteris mirifice congruunt, cum antiqui omne, quod secundum naturam esset, quo iuvaremur in vita, bonum decreverint, Stoici nisi quod honestum esset nihil esse putaverint bonum. Qua de re etiam in sequenti capite disseritur.

Cap. 21.*) **ATTIKUS. Ergo adsentiris Antiocho familiari meo, magistro enim non audeo dicere, quocum vixi et qui me ex nostris paene convellit hortulis deduxitque in Academiam perpaucnlis passibus.** — Antiochus Ascalonita[1]) Aristi heredis veteris Academiae frater[2]), Philonis discipulus,[3]) Athenis, Alexandriae, Romae moratus est; magistro eo usi sunt Varro, Atticus, Brutus, imprimis autem Cicero. Postea Lucullum imperatorem, quem Athenis cognoverat, caritate ante alios ita complexus est, ut eum non solum Romam sequeretur, sed etiam temporibus belli Mithridatici in Asiam comitaretur. Illinc non iam rediit, sed in Syria mortuus est.[4]) Academicus quidem appellabatur, sed erat, si perpauca mutasset, ut ait Cicero, germanissimus Stoicus[5]), cui Stoici cum Peripateticis re concinere videbantur, verbis discrepare. In universum autem tantopere a Stoicis differebat, ut Eclecticis potius quam Stoicis adnumerari posset. Antiochus librum de Peripateticorum et Stoicorum concordia edidit.[6])

magistro — Atticus Athenis Antiochi auditor[7]) fuit, postea autem Epicuri sectam secutus est, quare condiscipuli Epicurei aegre tulissent, si eum magistrum agnovisset.

---

*) M. Tullii Ciceronis de legibus libri ex recognitione Johannis Vahleni. Berolini 1871. Praeterea Davisii, Goerenzii, Moseri, Halmii, Bakii, Feldhuegelii, du Mesnilii commentariis usus sum.

[1]) Plut. Cic. 4: ἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας Ἀντιόχου τοῦ Ἀσκαλωνίτου διήκουσε. cf. Grysar, die Akademiker Philo und Antiochus p. 8.

[2]) Cic. Ac. I, 3, 12.

[3]) Ac. II, 22, 69: Antiochus didicit apud Philonem tam diu, ut constaret, diutius didicisse neminem.

[4]) Plut. Luc. 42. Cic. Ac. II, 2, 4. II, 19, 61.

[5]) Cic. Ac. II, 43, 132. Plut. Cic. 4.

[6]) Cic. de nat. d. I, 7, 16.

[7]) cf. Grysar p. 9.

ex nostris hortulis — i. e. ex schola Epicuri. Post Epicuri mortem in horto discipulis relicto conventus habebantur.[1])

convellere — hoc verbo utitur Cicero propter hortorum mentionem; me convellere significat me quasi arborem abstrahere.

in Academiam — Academia intellegitur secta Platonica, quae illo nomine appellabatur, quia in luco Academi herois disputare solebat[2]).

perpauculis passibus — recte mihi videtur explicare Feldhuegelius, qui perpauculis passibus ablativum intervalli esse censet.

MARCUS. Vir iste fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris, quoi tamen ego adsentiar in omnibus necne mox videro: hoc dico, controversiam totam istam posse sedari. — Mss. optimi omittunt particulam „quidem", quare Victorius et Davisius eam abiciendam esse putaverunt. Sed abesse non potest, quippe quam et sententiarum nexus et „ille" pronomen alioquin contra morem nude positum exigat.

iste — supervacaneum esse Davisius arbitratur eamque ob causam iste in Tite mutari vult, sed nullo iure si quid video, quia ita saepius pronomen pronomini in hac dicendi forma addi res notissima est. cf. si tanti est Cic. de fin. IV, 16, 40. de off. I, 27, 95. Verrin. II, 71, 175.

prudens et acutus — prudentem Cicero Antiochum vocat, quia in philosophia doctus est. Sic iuris prudentes appellantur. Antiochum „prudentissimum" „acutissimum omnium nostrae memoriae philosophum", „hominem in primis acutum" Cicero aliis locis dicit. cf. Brutus 91, 315. Ac. II, 35, 113. de n. d. I, 7, 16.

Att. Qui istuc tandem vides? — „Quin istuc" libri optimi praebent, quod vix recte se habet. Nam sententia haec est: utrum Antiocho, quem me secutum esse bene conclusisti, adsentiar necne, mox videbimus: nunc hoc dico totam istam controversiam dirimi posse. Quocirca „qui", quamquam mss. deteriores habent, reponendum mihi videtur propter particulam „quia", quae sequitur.

M. Quia, si, ut Chius Aristo dixit solum bonum esse quod honestum esset, malumque quod turpe, ceteras res omnis plane paris ac ne minimum quidem utrum adessent an abessent interesse, valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet essetque inter eos de re maxima et de omni vivendi ratione dissensio. Nunc vero, quom decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum bonum dicat, itemque dedecus illi summum malum, hic solum divitias, valetudinem, pulchritudinem commodas res appellet, non bonas, paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas, sentit idem quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum,

---

[1]) Diog. L. X, 16. sq δίδωμι (Ἐπίκουρος) τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομάχῳ Φιλοκράτους Βατῆθεν, καὶ Τιμοκράτει Δημητρίου Ποταμίῳ, κατὰ τὴν ἐν τῷ Μητρῴῳ ἀναγεγραμμένην ἑκατέρῳ δόσιν, ἐφ' ᾧ τε τὸν μὲν κῆπον καὶ τὰ προσόντα αὐτῷ παρέξουσιν Ἑρμάχῳ Ἀγεμάρχου Μιτυληναίῳ, καὶ τοῖς συμφιλοσοφοῦσιν αὐτῷ, καὶ οἷς ἂν Ἕρμαχος καταλίπῃ διαδόχοις τῆς φιλοσοφίας, ἐνδιατρίβειν κατὰ φιλοσοφίαν· καὶ ἀεὶ δὲ τοῖς φιλοσοφοῦσιν ἀπὸ ἡμῶν, ὅπως ἂν συνδιασώσωσιν Ἀμυνομάχῳ καὶ Τιμοκράτει κατὰ τὸ δυνατὸν τὴν ἐν τῷ κήπῳ διατριβὴν παρακατατίθεμαι, τοῖς τ' αὐτῶν κληρονόμοις, ἐν ᾧ ἂν τρόπῳ ἀσφαλέστατον ᾖ, ὅπως ἂν κἀκεῖνοι διατηροῖεν τὸν κῆπον, καθάπερ καὶ αὐτοί, οἷς ἂν οἱ ἀπὸ ἡμῶν φιλοσοφοῦντες παραδιδῶσιν.

[2]) Diog. L. III, 7: Ἐπανελθὼν (Πλάτων) δὲ εἰς Ἀθήνας διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ. Τὸ δ' ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες, ἀπό τινος ἥρωος ὀνομασθὲν Ἀκαδήμου.
cf. Cic. Ac. I, 4, 17. Plut. Cim. 13. Paus. I, 29 et 30. Hor. ep. II, 2, 45.

sed verborum discordia controversia est nata de finibus; in qua, quoniam usus capionem duodecim tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus, nec Mamilia lege singuli, sed e XII tres arbitri finis regemus. — De hoc loco viri docti valde inter se discrepant. Madvigius[1]) putat scribarum oscitantia „dixisset" post „dixit" omissum esse, refutata opinione eorum, qui statuerunt legendum esse si, ut Chius Aristo, dixit . . . . discreparet. Sed hac Madvigii coniectura nihil opus est. Recte enim hunc locum iam Feldhuegelius interpretatus est, docens, verbum dixisset, quod omissum fuisse censet Madvigius, subintellegendum esse. In hanc rem adfert duo huiusmodi exempla de off. I, 7, 22: quoniam . . . . ut placet Stoicis omnia creari. de rep. I, 37, 58: si, ut Graeci dicunt omnes aut Graios esse aut barbaros, vereor, ne barbarorum rex fuerit. Unde apparet luce clarius, etiam nostrum locum bene se habere.

Chius Aristo — Aristo Stoicus, Chius patria, discipulus Lysiae et Zenonis, qui a Diogene Laertio (VII, 2, 1) Ἀρίστων ὁ Χῖος, ὁ Φάλανθος, ἐπικαλούμενος Σειρήν appellatur, quo anno et natus et mortuus sit, cum nemo ex veteribus memoriae prodiderit, dici non potest. Neque vero dubito, quin Aristo circa a. 275 a. Chr. floruerit[2]). Relicta patria Athenas se contulit et Zenonis Citiei, scholae Stoicae principis conditorisque disciplina utebatur. Postea Aristo a Zenone doctrina tantum dissensit, ut ipse novae Stoicorum sectae conditor exsisteret, cuius asseclae de magistri nomine Aristonei[3]) dicti sunt. Quod ad doctrinam eius attinet, de omnibus dubitabat, neque formam dei intellegi posse censebat[4]) neque in diis sensum esse; quin etiam omnino deus animans necne esset ambigebat. Praeterea bonum nihil esse[5]) dixit, nisi quod rectum et honestum esset. Libri ab eo scripti[6]) ad nos non pervenerunt[7]).

Xenocrates — Xenocrates, philosophus Chalcedonius, praestantissimus studio atque doctrina[8]), natus a. 397[9]) a. Chr. = Ol. 94, 4, quem Speusippus successorem sibi constituerat (a. 339 a. Chr. = Ol. 110, 2[10]), complures annos antiquae Academiae praefuit. Idem Platonem ab adulescentia audivit[11]). Cuius libri[12], quorum plurimi complectebantur philosophiam, quae

---

1) Emendationes in Ciceronis libros philosophicos part. I p. 54.
2) Saal, de Aristonis Chii vita, scriptis et doctrina p. 9.
3) Diog. L. VII, 161.
4) Cic. Ac. II, 39, 123. de n. d. I, 14.
5) de fin. III, 3, 11. III, 4, 12. III, 15, 50.
6) Diog. L. VII, 163: Βιβλία δὲ αὐτοῦ φέρεται τάδε. Προτρεπτικῶν β'. Περὶ τῶν Ζήνωνος δογμάτων διάλογοι. Σχολῶν, ς'. Περὶ σοφίας διατριβῶν, ζ'. Ἐρωτικαὶ διατριβαί. Ὑπομνήματα ὑπὲρ κενοδοξίας. Ὑπομνημάτων, κε'. Ἀπομνημονευμάτων, γ'. Χρειῶν, ια'. Πρὸς τοὺς ῥήτορας. Πρὸς τὰς Ἀλεξίνου ἀντιγραφάς. Πρὸς τοὺς διαλεκτικούς, γ'. Πρὸς Κλεάνθην ἐπιστολῶν, δ'.
7) Saal p. 20 sq.
8) Cic. Ac. I, 4, 17.
9) Clinton, Fasti Hellen. ad a. 397.
10) Fischer, de Speusippi Atheniensis vita p. 9.
11) Diog. L. IV, 6. cf. Fischer p. 10. Sext. Emp. adv. Math XI, 4: πᾶν τὸ ὂν ἢ ἀγαθόν ἐστιν ἢ κακόν ἐστιν, ἢ οὔτε ἀγαθόν ἐστιν οὔτε κακόν ἐστιν.
12) Tituli librorum inveniuntur apud Diog. L. IV, 11—14: Περὶ φύσεως, α', β', γ', δ', ε', ς'. Περὶ σοφίας, ς'· Περὶ πλούτου, α'· Ἀρκάς, ά· Περὶ τοῦ ἀορίστου, α'· Περὶ τοῦ παιδίου, α'· Περὶ ἐγκρατείας, α'· Περὶ τοῦ ὠφελίμου, α'· Περὶ τοῦ ἐλευθέρου, α'· Περὶ θανάτου, α'· Περὶ ἑκουσίου, α'. Περὶ φιλίας, α', β'· Περὶ ἐπιεικίας, α'· Περὶ τοῦ ἐναντίου, α', β'. Περὶ εὐδαιμονίας, α', β'· Περὶ τοῦ

virtutis, officii et bene vivendi disciplinam continet, paucis reliquiis exceptis ad memoriam posteritatemque non proditi sunt[1])

et ab illa Platonis familia — Varie hic locus ab editoribus temptatus est; offenderunt enim, quod Platonis familia iuxta Xenocratem et Aristotelem nominata est. „An igitur, quaerit Davisius, Xenocrates et Aristoteles e Platonis familia non fuere?" „Certe fuerunt" addit et ideo, corruptelam in voce „illa" latere statuens, reponendum esse putat „omni". Sine dubio hic sensus insit oportet atque re vera inest, si recte hoc loco verba „illud et" intellegimus. Audi igitur, quod monet Bakius: particula et adnectitur universum genus singulis, quae commemorata erant. Similiter saepius usurpatur particula que: Cic. de fin. II, 13, 30 et III, 4, 14.

essetque — Utra genuina sit lectio „essetque" aut „et esset" ex codicum scripturis diiudicari non quit. Halmius legendum censet et esset, ceteri interpretes acquiescunt in lectione e&q. = essetque. His adsentiendum esse mihi videtur, quia particula „que" plerumque habet vim explicativam, quae hoc loco desideratur.

de omni vivendi ratione — „de re maxima" explicat et amplificat verbis „de omni vivendi ratione", quia tota bene agendi ratio continetur opinione quam habemus de bono, de malo et, id quod restat, de iis rebus, quae Stoici ἀδιάφορα dicunt. Cicero ἀδιάφορον reddit per indifferens: de fin. III, 16, 53: quod illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut **indifferens** dicerem: neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis, quod aut secundum naturam esset aut contra, nec, cum id relinqueretur, nihil in his poni, quod aestimabile esset, nec hoc posito non aliqua esse praeposita. Recte igitur haec facta distinctio est, atque etiam ab iis, quo facilius res perspici possit, hoc simile ponitur: ut enim, inquiunt, si hoc fingamus esse quasi finem et ultimum, ita iacere talum, ut rectus adsistat, qui ita talus erit iactus, ut cadat rectus, praepositum quiddam habebit ad finem, qui aliter, contra, neque tamen illa praepositio tali ad eum, quem dixi, finem pertinebit, sic ea, quae sunt praeposita, referuntur illa quidem ad finem, sed ad eius vim naturamque nihil pertinet. Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia — sic enim appello quae τελικά dicuntur; nam hoc ipsum instituamus, ut placuit, pluribus verbis dicere, quod uno non poterimus, ut res intellegatur —, alia autem efficientia, quae Graeci ποιητικά, alia utrumque. De pertinentibus nihil est bonum

---

γράφειν, α'· Περὶ μνήμης, α'· Περὶ τοῦ ψεύδους, α'· Καλλικλῆς, α'· Περὶ φρονήσεως, α', β'· Οἰκονομικός, α'· Περὶ σωφροσύνης, α'· Περὶ δυνάμεως νόμου, α'· Περὶ πολιτείας, α'· Περὶ ὁσιότητος, α'· Ὅτι παραδοτὴ ἡ ἀρετή, α'· Περὶ τοῦ ὄντος, α'· Περὶ εἱμαρμένης, α'· Περὶ τῶν παθῶν, α'· Περὶ βίων, α'· Περὶ ὁμονοίας, α'· Περὶ μαθητῶν, α', β'· Περὶ δικαιοσύνης, α'· Περὶ ἀρετῆς, α', β'· Περὶ εἰδῶν, α'· Περὶ ἡδονῆς, α', β'· Περὶ βίου, α'· Περὶ ἀνδρείας, α'· Περὶ τοῦ ἑνός, α'· Περὶ ἰδεῶν, α'· Περὶ τέχνης, α'· Περὶ Θεῶν, α', β'· Περὶ ψυχῆς, α', β'. Περὶ ἐπιστήμης, α'· Πολιτικός, α'· Περὶ ἐπιστημοσύνης, α'· Περὶ φιλοσοφίας, α'· Περὶ τῶν Παρμενίδου, α'· Ἀρχέδημος, ἢ Περὶ δικαιοσύνης, α'· Περὶ ἀγαθοῦ, α'· Τῶν περὶ τὴν διάνοιαν. α', β', γ', δ', ε', ϛ', ζ', η'· Λύσις τῶν περὶ τοὺς λόγους, α', ι'· Φυσικῆς ἀκροάσεως, α', β', γ', δ', ε', ϛ'· Κεφάλαιον, α'· Περὶ γενῶν καὶ εἰδῶν, α'· Πυθαγόρεια, α'· Λύσεις, α', β'· Διαιρέσεις, η'· Θέσεων βιβλία, κ', μ', γ'· Τῆς περὶ τὸ διαλέγεσθαι πραγματείας βιβλία, ιέ, μ', α', β', ψ', μ'. Μετὰ τοῦτο βιβλία, ιε', καὶ ἄλλα βιβλία, ιϛ'. Περὶ μαθημάτων τῶν περὶ τὴν λέξιν λογικῶν, βιβλία θ'· τῶν περὶ τὰ μαθήματα, βιβλία ϛ'· Τῶν περὶ τὴν διάνοιαν ἄλλα βιβλία δύο. Περὶ γεωμετρῶν, βιβλία ε'· ὑπομνημάτων, α'· ἐναντίων α'· Περὶ ἀριθμῶν· Ἀριθμῶν Θεωρία, α'· Περὶ διαστημάτων, α'· Τῶν περὶ ἀστρολογίαν. ϛ'· Στοιχεῖα πρὸς Ἀλέξανδρον, περὶ βασιλείας, δ'· Πρὸς Ἀρύβαν· Πρὸς Ἡφαιστίωνα· Περὶ γεωμετρίας, α', β'· Στίχοι μ' κ' β' δ' σ' λ' θ'.

[1]) cf. Zeller, Philosophie der Griechen II. 2 ed. p. 678 sq.

praeter actiones honestas, de efficientibus nihil praeter amicum, sed et pertinentem et efficientem sapientiam volunt esse: nam quia sapientia est conveniens actio, est in illo pertinenti genere, quod dixi; quod autem honestas actiones adfert et efficit, efficiens dici potest. 17 sq.

quom decus, quod — lectio „quom quod decus“ reicienda et ordine immutato „decus quod“ restituendum est, ut plerique interpretum fecerunt; ordine enim verborum, qui in nonnullis codicibus (A et B) legitur, servato ineptus plane sensus evadit. Nam ut recte Madvigius contendit, quod decus idem significat atque „illud decus quod“ = id decoris genus quod. Sed hoc loco decus oppositum est dedecori.

decus — significat honestum (τὸ καλόν) (cf. Madvig. de fin. II, 11, 35), cui contrarium est dedecus.

commodas res — Aptissime ad haec verba inlustranda faciunt ea, quae e Zenone Diogenes Laertius VII, 101 sq. attulit: τῶν δὲ ὄντων φασὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ εἶναι, τὰ δὲ κακά, τὰ δὲ οὐδέτερα· ἀγαθὰ μὲν οὖν τάς τε ἀρετάς, φρόνησιν, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν, σωφροσύνην καὶ τὰ λοιπά· κακὰ δὲ τὰ ἐναντία, ἀφροσύνην, ἀδικίαν καὶ τὰ λοιπά· οὐδέτερα δὲ ὅσα μήτε ὠφελεῖ μήτε βλάπτει, οἷον ζωή, ὑγίεια, ἡδονή, κάλλος, ἰσχύς, πλοῦτος, εὐδοξία, εὐγένεια· καὶ τὰ τούτοις ἐναντία, θάνατος, νόσος, πόνος, αἶσχος, ἀσθένεια, πενία, ἀδοξία, δυσγένεια καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια,...... μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα ἀγαθά, ἀλλ' ἀδιάφορα κατ' εἶδος προηγμένα.

est nata — verba hoc ordine a libris optimis tradita sunt, quem contra eorum auctoritatem minime mutaverim.

quoniam usus capionem duodecim tabulae intra quinque pedes esse noluerunt. — Legebatur olim „voluerunt“, sed primus recte correxit Victorius „noluerunt“, cui ipsa lex suffragatur. Lex voluit, ut inter vicinorum praedia finibus constitutis quinque aut sex pedum spatium, quod usucapi non posset, relinqueretur. Illud autem spatium, quod usucapi non posset, ad circumvertendum aratrum vacuum relinquebatur, ubi uterque dominus et iret et ageret. De quo spatio determinando, i. e. de finibus regundis, quotiens lis exoriretur, ex legg. XII tabb. tres arbitri dabantur, ex lege Mamilia vero unus eligi arbiter aut finium rector debebat.

intra quinque pedes — Fluctuant codices cum interpraepos itiones „inter“ et „intra“, tum inter „voluerunt“ et „noluerunt“. Plerique interpretum „intra“ maluerunt, quibus adsentiendum mihi videtur, quia praepositio inter ita fere adhiberi solet, ut duo fines nominentur, quibus aliquod spatium continetur; „noluerunt“ non est dubium quin scribendum sit, quia praecedentibus verbis sententia negativa quasi praeparatur lectorque exspectat, ut aliquid prohibeatur vel vetetur.

depasci — idem significat quod transcribi, i. e. adimi, neque enim sinere vult illos verbis novis id quod Academici quaerendo investigaverunt, sibi vindicare.

ab hoc acuto homine — Haud dubie hoc loco intellegendus est Zeno, non quem Wagnerus dicit, Antiochus; est enim controversia inter Stoicum Zenonem et Academicos. Antiochus autem ipse erat Academiae sectator. Sententia verborum depasci veterem sq. esse videtur haec: Academiae doctrinas velut agrum usucaptum sibi arrogare Zenonem non sinemus. Nam re quidem consentit cum Academicis veteribus, verbis tantum discrepat. Translatio est ducta a re pascuaria. Qui pecora habet, ei in suum agrum ea immittere licet, in alienum agere non licet.

Mamilia lege — Lex Mamilia aliorum iudicio a consule C. Mamilio Turrino 239 a. Chr., aliorum a tribuno plebis C. Mamilio Limetano 164 a. Chr. rogata est[1]),

sed e XII tres arbitri finis regemus — Codices hoc loco exhibent „ex is res" vel „ex his res". Haec verba aperte corrupta nullum sensum praebent. Feliciter et evidenter Aemarus Ranconetus „e XII tres" restituit, quem alii interpretes secuti sunt. Qui huic emendationi adsentiri dubitaverunt, a. J. Vahleno[2]) docti omnem dubitationem abicient. Is enim monet in aliis locis ut II, 7, 18 et II, 25, 64 eandem corruptelam librariorum errore natam esse. Ita nimirum priore loco: „ut in veteribus XII sacratisque legibus" in editionibus bene repositum est pro eo quod libri manu scripti praebent „ut in veteribus ex his" (B) aut **„exissacratisq."**; posteriore loco **„nr̃isuiri"** (nostris viri) in codicibus vel bonis legitur, quae verba aperte corrupta sunt ex „nostri X viri".

Quintus. Quamnam igitur sententiam dicimus? — Uno codice excepto qui habet „dicemus", omnes praebent „dicimus", quod editores optimo iure probaverunt. Nam de praesenti arbitrio sermo inicitur.

M. Requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, iisque parere. — Notant plerique interpretum transitionem a passiva forma accusativi cum infinitivo ad activam simplicis infinitivi. Quae transitio etsi non saepe occurrit, tamen aliquot exemplis a Madvigio ad Cic. de fin. II, 7, 21 collectis probatur. cf. de fato 11, 23: id fuit defendi melius quam introducere declinationem; ibid. 20, 46: hoc modo hanc causam disceptari oportet, non ab atomis .... petere praesidium; Brutus 196: quam captiosum esset populo, quod scriptum esset, neglegi — et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere.

Q. Praeclare, frater, iam nunc a te verba usurpantur civilis iuris et legum, quo de genere expecto disputationem tuam; nam ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognovi. Sed certe ita res se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui, aut naturam sequi et eius quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere. Quapropter hoc diiudicari nescio an numquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus. Permulta de hoc loco disputata sunt a viris doctis, alii totum locum „sed certe .... tamquam lege vivere" eiciendum esse censuerunt, alii ultimam tantum partem „quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere". Mihi omnia verba tuenda videntur exceptis verbis „quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere", quae prorsus nullum sensum praebent. Ceterum recte iam annotavit Vahlenus, deleta tota hac parte hiulcam fieri orationem ex plana, quia „ista quidem" verba desiderent membrum oppositum „sed certe" et „quapropter hoc diiudicari" non possint nullo intervallo adiungi illis „ista quidem magna diiudicatio est"; accedere quod in verbis ipsis fere nihil sit, quod non possit Cicerone teste firmari.

disputationem — ab hoc verbo, quod in optimis codicibus (A et B) legitur, non discedendum arbitror; codices deteriores habent quidem „dubitationem", quam vocem recepit Goerenzius, probatam loco Cic. pro Rosc. Am. 31, 88: „Restat, iudices, ut hoc dubitemus, uter

---

[1]) Pauly, Encycl. IV, 985.
[2]) Zeitschrift f. ö. Gymnasien Jahrg. 1860, 1 p. 30.

potius Sex. Roscium occiderit." Sed si sensum spectas, disputatio tantum hoc loco aptum sensum praebet, quoniam diiudicatio non tam dubitantis quam disputantis est. Accedit, quod „disputatio" vox in optimis libris legitur.

apta virtute — Lectio „aperta", quam praebet B non ferenda est. Cod. A exhibet „apta", quod plerique editorum receperunt. Zumptius quidem addidit praepositionem e; sed, id quod Feldhuegelius exemplis probavit, „apta" eodem sensu cum solo ablativo coniungi solet. cf. Tusc. V, 14, 40 rudentibus apta fortuna. Sententia igitur verborum est ea, quam Feldhuegelius monstravit, vitam aptam virtute esse, nimirum eam quae ex virtute pendeat ad eamque tota dirigatur.

quantum in ipso sit — Non inusitatus hic usus pronominis est, ut saepe tertia persona in eiusmodi sententiis adhibeatur, ubi nos utimur „man, einer, eines".

an numquam — maluerunt aliquot interpretes umquam contra auctoritatem codicum meliorum recipere; sed nullo iure. Namque nescio an, dubito an idem significat quod fortassis, modestam igitur reddit adfirmationem; itaque umquam hoc loco minime ferendum est[1]).

Cap. 22. Revertitur hoc capite disputatio ad id, quod amici sibi proposuerant, ad normam statuendam, qua omnibus et populis et singulis hominibus leges dentur. Leges autem quia optimam vivendi rationem docent, vitia vetant, virtutes commendant, ducendae sunt a sapientia, quae intellegitur scientia boni et mali. Cuius amor philosophia dicitur, in qua laudanda Marcus diutius versatur.

Att. At ego huc declinabam vel invitus.

Q. Licebit alias: nunc id agamus, quod coepimus, quom praesertim ad id nihil pertineat haec de summo malo bonoque dissensio.

M. Prudentissime, Quinte, dicis; nam quae a me adhuc dicta sunt • • te Lycurgi leges neque Solonis neque Charondae neque Zaleuci nec nostras duodecim tabulas nec plebiscita desidero, sed te existimo cum populis tum etiam singulis hodierno sermone leges vivendi et disciplinam daturum. — Nemo non videt lacunam inter „dicta sunt" et „te Lycurgi" interesse, quae aliis parva aliis magna esse videtur. Quamquam non admodum multa intercidisse et natura contextus et eo indicatur, quod unus ex Ambrosianis codicibus spatium septem fere litterarum reliquit. Antea enim (cap. 12, 34) Marcus haec dixit: quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostrae, quo facilius ius in natura esse positum intellegi possit; de quo quom perpauca dixero, tum ad ius civile veniam, ex quo haec omnis est nata oratio. Absoluta igitur illa generali quaestione in natura ius esse positum Quinto properante ad id, quod erat propositum, consentaneum est illum transitum fuisse indicatum. Ex iis autem quae excipit Quintus „Lycurgi leges cetera" concludendum est Marcum eodem modo significavisse consideraturum se ea nunc esse, quae antea (I, 5, 17) promiserat: considerandae leges, quibus civitates regi debeant, tum haec tractanda, quae composita sunt et descripta iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae vocantur iura civilia.

Charondae — Charondam, Catinensem[2]), unum ex optimis legum inventoribus, Pythagorae discipulum[3]) ante Pythagoram fuisse et circa Olymp. XXIX vel ante Chr. n. 664 floruisse ex

---

[1]) cf. Meiring, Lat. Gr. § 641. Anm. 1.
[2]) Aristot. Polit. lib. II c. 12.
[3]) Seneca epist. 90. Diog. L. VIII, 16.

Eusebii testimonio intellegimus. Leges dedit Charondas civibus suis, Catinensibus[1] et aliis Chalcidicis civitatibus Italiae ac Siciliae. Quare vehementer multitudinis erga eum amor commotus est, ita ut in patria urbe divino honore adficeretur[2]). Voluntaria morte obiit, si credimus Diodoro Siculo (lib. VII c. 19) et qui illum secutus est Valerio Maximo lib. VI c. 5 ita scribenti: „Sed aliquanto Charondae Thurini praefractior atque abscissior iustitia. Ad vim et cruorem usque seditiosas conciones civium pacaverat, lege cavendo, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Interiecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio cinctus, domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit: ab eoque qui proxime constituerat, solutae a se legis suae monitus: Idem ego illam, inquit, sanciam: ac protinus ferro quod habebat districto incubuit. Cumque liceret culpam vel dissimulare vel errore defendere, poenam tamen repraesentare maluit, ne qua fraus iustitiae fieret.“ Verum quia eiusmodi legum sanctoris et severitas et perversitas a fide abhorret, rerum pronuntiatorem ab auctore parum idoneo deceptum esse arbitramur. Ciceronem Charondae instituta quorum in libris de legibus meminit, cognita habuisse apertum ac perspicuum est. Etenim lib. II cap. 6: Sed, inquit, ut vir doctissimus fecit Plato atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de re publica conscripsit idemque separatim de legibus eius, id mihi credo esse faciundum, ut, priusquam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam; quod idem et Zaleucum et Charondam fecisse video, cum quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatibus suis scripserunt. At omnium maxime memorabilis locus est lib. III cap. 2, ubi haec leguntur: magistratibus igitur opns est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest, quorumque descriptione omnis rei publicae moderatio continetur; neque solum iis praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus: nam et qui bene imperat paruerit aliquando necesse est, et qui modeste paret videtur qui aliquando imperet dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum et illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum ut obtemperent oboediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligantque praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus.

Zaleucum — Pythagorae discipulis haud pauci antiquorum adnumerarunt, velut Diodorus (Diod. Sicul. XII, 20) Seneca (ep. 90, 6) Diog. L. (VIII, 16) Suidas v. Ζάλευχος), quibus accedunt Porphyrius (vit. Pythag. c. 21) et Jamblichus (vit. Pythag. c. 7) Samium philosophum illius opera leges imposuisse adfirmantes. Ex Eusebii testimonio qui Zaleuci florem in Olympiadis XXIX annum primum vel in annum a. Chr. n. 664 incidere docet, efficitur eum Pythagora antiquiorem esse[3]).

leges vivendi — non est cur exemplum Bakii sequamur, qui leges vivendi dici posse negat et transponi verba vult: leges et vivendi disciplinam daturum. Nam ut lex vivendi norma est universa, ad quam vita dirigatur, ita leges sunt singula, quibus vita conformetur, praecepta.

M. Est huius vero disputationis, Quinte, proprium id, quod expectas, atque utinam esset etiam facultatis meae. Sed profecto ita se res habet, ut, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur.

---

[1]) Aristot. Polit. II, 12. Plato de republica X, p. 599.
[2]) Jamblichus de vit. Pythag. c. 30. cf. Mullach, frg. phil. gr. II p. XXV sq.
[3]) cf. Mullach II p. XL.

Ita fit ut mater omnium bonarum rerum sit sapientia, a quoius amore Graeco verbo philosophia nomen invenit, qua nihil a dis inmortabilibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum vitae datum est. Haec enim una nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cuius praecepti tanta vis et tanta sententia est, ut ea non homini quoipiam, sed Delphico deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet divinum ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dicatum putabit, tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet, et, quom se ipse perspexerit totumque temptarit, intelleget, quem ad modum a natura subornatus in vitam venerit quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, quoniam principio rerum omnium quasi adumbratas intellegentias animo ac mente conceperit, quibus inlustratis sapientia duce bonum virum et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore. —

vivendi doctrina — leges quia iis aut iubemur aliquid facere aut vetamur, rationem bene recteque vivendi nos docent. Ea enim intellegitur vivendi doctrina, ut doceamur honesta (legibus iussa) amplecti, turpia (legibus vetita) fugere et omittere. Quid autem legibus iubendum sit aut vetandum, cognoscitur ex sapientia, de qua continuo copiose loquitur in capite 7, 22. Cicero exponit legem esse perfectam rationem et hanc cum in homine perfecta sit appellari sapientiam. Ita argumentandi rationem perspicimus.

sit sapientia — Carent codices A et B sit, quod minime deesse potest. Halmius scribit sapientia sit; mea quidem sententia Vahlenus „sit“ recte posuit ante „sapientia“. Verisimilius est enim, librarios in ***SITSAP*** . . . confudisse primas litteras quam in ***SAPIENTIASIT*** ultimas omisisse; praeterea vox „sapientia“ in fine posita maiorem habet vim et propositio relativa commodius et artius ei coniungitur.

a quoius amore Graeco verbo philosophia nomen invenit — Huius inventorem nominis Pythagoram accepimus, nam ante Pythagoram omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem, quem Phliuntem, in Peloponnesi urbem, venisse ferunt, et cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam: cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at Pythagoram artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum; admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent philosophi et quid inter eos et reliquos interesset; Pythagoram autem respondisse, hos se appellare sapientiae studiosos. Cic. Tusc. V c. 3. Praeterea cf. Diog. L. Pr. 8, 12: Φιλοσοφίαν δὲ πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον, ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι τῷ Σικυωνίων τυράννῳ ἢ Φλιασίων, καθάφησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῇ περὶ τῆς ἄπνου· μηδένα γὰρ εἶναι σοφὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἢ θεόν. Θᾶττον δὲ ἐκαλεῖτο σοφία, καὶ σοφὸς ὁ ταύτην ἐπαγγελλόμενος, ὃς εἴη ἂν κατὰ ἀκρότητα ψυχῆς ἀπηκριβωμένος· φιλόσοφος δὲ ὁ σοφίαν ἀσπαζόμενος.

haec enim una — vocem „una“ aliquot interpretum deleri voluerunt, quia in codicibus Paris. et Reg. „una“ non legitur. Sed recte monetur ab Ernesto servandum esse „una“, ut sit elegans oppositio; sequitur enim res **omnes tanta vis et tanta sententia** — dissentiunt viri docti de servanda aut eicienda particula copulanti „et“, quia in nonnullis codicibus omittitur. Sed et legitur in singulis codicibus et auxesis ipsa anaphora efficitur, ut recte monet Bakius. Neque eleganter duo synonyma, quae sane sunt vis et sententia, per asyndeton distinguuntur. Commode Bakius laudavit Cic. de or. I, 44, 196 cuius rei tanta est vis ac tanta natura.

ut...... tribueretur — inusitata, sed non inaudita talis temporum consecutio est: tanta vis et tanta sententia **est,** ut ea non homini.... **tribueretur.** Cuius causam eam esse recte animadvertit Bakius, quod a generali sententia ad historiam transeatur. cf. Verr. II, 78, 191: **laudantur** oratores veteres, Crassi illi et Antonii, quod crimina diluere dilucide, quod copiose rerum causas defendere **solerent.**

homini cuipiam, sed Delphico deo — Illud „nosce te“ Delphis in templo inscriptum a Plinio[1]) et Diogene Laertio[2]) Chiloni Lacedaemonio, a Cicerone autem deo Delphico tributum est. Tusc. I, 22, 52: Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre, et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus; neque nos corpora sumus, nec ego tibi haec dicens corpori tuo dico. Cum igitur „nosce te“ dicit, hoc dicit: „nosce animum tuum“. Nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum deo. cf. Fin. V, 16, 44, ubi haec leguntur: quod praeceptum quia maius erat, quam ut ab homine videretur, idcircoadsi gnatum est deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos.

qui se ipse norit — „ipse“ dubium non est quin praeferendum sit lectioni aliquot deteriorum codicum „ipsum“. Multis locis legitur imprimis apud Ciceronem „ipse“ vel ubi oppositionis natura talis est, ut exspectemus accusativum. cf. de leg. I, 23, 61: quam se ipse noscet, de leg. I, 24, 62: qui se ipsi velint nosse. Cic. Verr. I, 6, 17: Ut non modo populo Romano, sed etiam sibi ipse condemnatus videretur.

se habere sentiet — Aliquot interpretum „sentiet se habere“ malunt, id quod nonnulli exhibent codices, alii fidem meliorum codicum secuti scribunt „se habere sentiet“. Adsentiendum mihi his videtur, primum quia ita verborum sonus melior est, deinde etiam, quia lectio optimorum codicum iis suffragatur.

ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dicatum putabit — Haud dubie coniungendum est „dicatum“ cum „ingenium“. Contraria interpretatio, ut recte monuit Bakius, nihil adfert nisi hoc: putabit ingenium in se suum esse: quo quid potest esse ineptius? Praeterea latine non coniungitur puto „sicut“, quod intellegendum esset, si legeremus putat ingenium — sicut simulacrum aliquod.

perspexerit totumque temptarit — Multi interpretes inverti volunt haec verba, ne nascatur ὑστερολογία. At inversione nihil opus est, nam ut recte disserit Goerenzius „totum temptarit“ notat: adhibita omnis generis exploratione intellexerit, qualis esset; plus igitur est quam perspexerit, quod simpliciter plenam rei intellegentiam notat. Iure confert Vahlenus ad Quintum fr. I, 4, 5: „perspice rem et pertempta“, et bene adfert, perspiciendi verbum saepius ita poni, ut ab accurate inspiciendo, explorando, vix videatur differre, velut ad IX, 15, 5 tu velim cum fabris eam (domum) perspicias.

ad obtinendam adipiscendamque sapientiam — est ea figura, quae hysterologia (ὕστερον πρότερον) dicitur cf. Verg. Aen. II, 353: moriamur et in media arma ruamus.

---

[1]) Plinius hist. n. VII, 32.

[2]) Diog. L. I 40: Τούτου ἐστὶ τὸ Γνῶθι σαυτόν, ὅπερ Ἀντισθένης ἐν ταῖς Διαδοχαῖς Φημονόης εἶναί φησιν, ἐξιδιοποιήσασθαι δὲ αὐτὸ Χείλωνα.

principio — quod codices omnes praebent, multi interpretum mutari volunt in „principia“ et coniungunt principia rerum quasi adumbratas intellegentias conceperit; quae interpretatio prorsus ferenda non est. Nullo enim pacto Cicero intellegentias principia rerum appellare potuit. Principia rerum sunt elementa quae in physicis dicuntur. Cicero dicere vult homini primum illas intellegentias insitas esse, deinde his inlustratis eum sapientia duce bonum virum et ob eam ipsam causam cernere se beatum fore. Tuendum igitur est „principio“.

subornatus — eodem sensu accipiendum est quo ornatus, instructus. Non est cur offendamus in praepositione sub. In qua inest notio auxiliandi, iuvandi. Plerumque sane dicitur subornatus sensu malo ut testes subornati. Apud alios scriptores[1]) saepius occurrit subornare sensu, quem habet instructus.

adumbratas — adumbrandi notio liquet ex locis ut: „adumbrata imago“[2]); haec est enim imago, cuius umbra tantum est picta, quae nondum coloribus est perfecta et exornata; tralaticio igitur sensu si adumbratus usurpatur, nihil aliud significat nisi „imperfectus, nondum ad finem suum productus“. Proinde adumbratae intellegentiae sunt tales, quae clarae et distinctae fieri possint, sunt principia omnis scientiae et philosophiae.

---

1) Seneca ep. 24. Frontin. Strateg. II, 4, 18.
2) Cic. Tusc. III, 2, 3.